

bus Scripturæ de Dei facie aut Deo viso inferrent 1^o. Deum oculis corporeis videri, opponit illud Exodi : *Nemo videbit faciem meam et vivet*; et cum 2^o. inde colligerent, Deum comprehendi, objicit illud Joan. *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Unde patet excludi quidem visionem sensibilem et comprehensivam, minime autem intuitivam finitam.

Ad 4. R. Similiter, negari hic visionem illam hæreticorum duplicem, non autem postremam Catholicorum, et hinc simul concludo, non tantum in dialogis, sed alibi etiam hæreticos a THEODORETO fuisse infestatos.

ARTICULUS II.

AN HOMINUM QUISPIAM IN HAC MORTALI VITA MENTIS OCVLIS INTUITIVE VIDERIT DEUM?

104. *Nota*. Certum, quod secundum legem ordinariam fieri nequeat, ut homo vitam mortalem agens Deum intuitive videat. Certum, quod absolute et extraordinarie id fieri queat : quin et supponitur tanquam certum, quod anima Christi viatoris propter unionem hypostaticam cum Verbo hujus intuitivæ visionis prærogativa fuerit donata. Quæstio itaque tantum est, an homini puro, actu et de facto, hoc visionis non quidem permanentis sed transeuntis donum concessum sit? Quam licet conjecturando quidam affirmant de S. AUG. ex L. 9. Confess. c. 10., aut de S. Benedicto ex D. BERN. Serm. 9. de divers., n. 1. aut de B. V. ex ratiociniis; tamen ea maxime instituitur de MOYSE ac S. PAULO, pro quibus ex Scriptura et Patribus certatur.

105. *Dico*. Probabilius nemo hominum in vita mortali degens vel ad breve tempus mentis oculis intuitive vidit Deum.

Prob. SCRIPTURA tum V. tum N. T. statuit legem generalem, quod nemo mortalium videat aut viderit Deum, ut patet ex textibus num. 84. laudatis; et communior PP. sententia quascumque Patriarcharum et Prophetarum visiones interpretatur factas esse per *velum, nubem, figuram, similitudinem, conspicabilem materie dispositionem*, vel aliam quæcumque *speciem*; ut liquet ex DIONYS. de Cæl. Hier. c. 4. §. 3., CYR. ALEX. in Joan. L. 1. c. 10., CYR. HIER. Catech. 9. n. 1., EPIPH. in hæres. 70. n. 6. et seqq., BASIL. apud DAMASCEN. in Eclog. Tit. 48., ATHANAS. GREG. NAZ. aliisque apud AUG. ep. 111. (al. 148. c. 2.) PHOEBAD. L. cont. Arian. c. 17. quos recitat L. 7. c. 12. PETAVIUS. Sed vel illa lex generalis ac interpretatio intelligenda tantum est de visione per oculos corporeos, et tunc quidem huc non pertinet; sed nec exceptio et privilegium ab illa lege ac interpretatione, quod adversarii pro *Moyse, Paulo*, vel aliis afferunt, huc spectabit : vel si intelligi etiam possit de visione intellectus seu per oculos mentis, hoc ipso convellit assertum contrarium; ergo.

Conf. Res facti et exceptio a lege communi debet certo probari : sed nec probari sic potest, *Moysem* et *Paulum* exceptos fuisse et Dei substantiam vidisse; et potius ostenditur contrarium. Nam 1^o. qui ex LL. Exod. et Numer. textus afferuntur pro *Moyse*, et ex ep. 2. ad Cor. pro *Paulo*, visionem intuitivam divinæ substantiæ non evincunt, ut ex objectionum solutione patescet.

2^o. Etiam post raptum suum, Paulus 1. ad Tim. 6. sine ulla exceptionis nota universalem hanc propositionem negativam statuit : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; et Joannes diu post Pauli mortem Evangelium scribens absolute enuntiat : *Deum nemo vidit unquam*, quod neuter sine mendacio aut falsitate facere potuisset, si *Moyse* vel *Paulo* visio Dei intuitiva fuisset concessa. 3^o. Patres etiam plures speciatim *Moysem* excludunt a privilegio visionis intuitivæ. IREN. enim L. 4. cont. hæres. c. 37. (al. 20. n. 10. 11). *Neque Moyse*, inquit, *vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de celestibus viderunt; quæ autem ab ipsis cernebantur, erant similitudines claritatis Domini et prophetiæ futurorum*. ORIG. in Isa. hom. 1. n. 6. *Facies Dei non vidit Isaias, nec Moyse* vidit. TERTUL. L. cont. Prax. c. 14. pluribus momentis ostendit, *Moysem* non vidisse faciem Dei; et L. 4. cont. Marc. c. 22. ejus visionem exponit *de specie hominis, quàm Deus erat gestaturus*.

106. *Obj. I.* *Moyse* videtur concessa fuisse visio Dei intuitiva : Exod. 33. 11. Deum loquitur *Moyse* facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. *Moyse* dicenti v. 13. *Ostende mihi faciem tuam*; et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam*; respondet Deus v. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum*. Numer. 12. Statuit Deus hoc discrimen inter *Moysem* et alios Prophetas, quod his *appareat in visione vel per somnia loquatur* ad eos : illi vero *loquatur ore ad os, et palam nec per ænigmata aut figuras videatur*. Ergo.

R. *Ad prob. 1^{am}*. Phrasis hæc familiare quidem Dei cum *Moyse* colloquium, minime vero Dei visionem exprimit, cum *Moyse* eandem tribuat Israelitis Deut. 5. 4. dicens : *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis*; quamvis c. 4. v. 12. dixisset : *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis : vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis*. Quin, si etiam de visione intelligenda foret hæc verborum formula, non tamen ad Dei substantiam pertineret, sed ad angeli speciem, qui texte S. *Stephano* Act. 7. personam Dei representabat.

Ad prob. 2^{am}. R. Duplex erat petitio *Moyse*; 1^a. Quam per illa verba, *ostende faciem tuam*, Deo proposuit, tum secundum hebraicum, quo legitur *ostende mihi viam tuam*, tum secundum contextum pertinebat ad id, ut Deus dux itineris, prout hæcenus fecerat, esse pergeret; et hanc etiam *Moyse* Deus concessit, v. 14. dicens : *Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi*. 2^a. Quam verbis posterioribus, *ostende mihi gloriam tuam*, exposuerat, huc spectabat, ut manifestaretur sibi divinitas : hanc vero ipsi negavit Dominus verbis illis : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet*. Verumtamen præter negatam hanc visionem intuitivam, promisit illi per hæc verba : *ostendam omne bonum tibi*, mirabilia tum potentiae tum providentiæ signa, ac novum denique beneficium mox subjecit, dum sese illi manifestavit a tergo; h. e. fulgentissimo quodam lumine, quod divinitatis esset indicium, ut postremo versu expressit : *videbis posteriora mea : faciem autem videre non poteris*.

Ad prob. 3^{am}. R. Discrimen hic non est ratione concessæ *Moyse* visionis intuitivæ, sed ratione modi tantum, quo Deus familiarissime colloquebatur cum *Moyse*, et aperte eum instruebat manifesta legum, rituum et rerum gerendarum significatione; dum reliquis *Prophetis* raro et majestatis sue tenax loqueretur, illis voluntatem suam per somnia, imaginarias similitu-

dines et sub prophetarum vaticiniorum velamine insinuaret. Quare ænigmata et figuræ non à visione Dei, sed ab ejus locutione excluduntur, ut ex aliis versionibus liquet. Nam Hebræus ad litteram sic habet. *Ore ad os loquar in eo, et visione et non in ænigmatibus, et ideam Domini contemplabitur.* 70. Interp. *Os ad os loquar ei in visione, et non per ænigmata, et gloriam Domini videbit.* Versio Chald. *Verbo ad verbum loquar cum illo per visionem et non per ænigmata; et similitudinem gloriæ Domini contemplabitur.*

Inst. 1. S. Aug. tum in ep. 112. (al. 147.) tum apertius in L. 12. de Genes. ad lit. c. 27. docet: 1^o. Moysen in Exod. petiisse a Domino intuitivam Dei visionem et impetrasse: 2^o. illud responsum Dei: *Non poteris videre faciem meam*, fuisse figurate dictum et pertinere ad Ecclesiam, non ad Moysen: 3^o. Hæc Domini verba: *Non videbit me homo et vivet*, intelligi non de morte corporali, sed de extasi et abalienatione a sensibus.

R. 1^o. S. Aug. hæc omnia vel dubitando vel inquirendo potius protulisse, quam desiniendo: dubium quidem expressit, dum cit. ep. c. 13. n. 32. de Moyse loquens sic ait: *Quid est ergo, quod eum sic fecit exceptum, nisi forte quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem?* Plura autem in LL. de Gen. ad lit. quæsitæ, quam inventa fuisse, ex ipso Aug. Retract. L. 2. c. 24, supra ostendimus. Certe, quæ ad explicandos Scripturæ textus ex eodem sup. allata sunt, a sensu litterali ac proprio videntur plurimum abhorrere.

R. 2^o. Transmisso, quod Aug. aliquando sententiæ contrariæ adhæserit, nostræ tamen postmodum ac in LL. posterioribus accessit, nempe L. 2. de Trin. c. 16., L. 2. cont. Maxim. c. 12. n. 2., L. 3. de Symb. ad Catechum. c. 3., Quæst. 144. super Exod., Tr. 3. in Joan. n. 17. e quo postremo duntaxat hæc laudasse sufficiat: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est; typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.*

Inst. 2. Eandem Moysi visionem tribuunt HILAR. L. 5. de Trin. n. 21. 22. 23., AMBR. in Hexæm. L. 1. c. 2. n. 6., BASIL. hom. 1. in Hexæm. qui et addit, Moysen *in potiendis præsentibus Dei conspectibus fuisse angelis cœqualem.* Præterea HILAR. ibidem, n. 33., ISIDOR. HISP. L. de Ortu et obitu Patrum. c. 37. n. 72., RUPERT. L. 3. de verb. Dei c. 28. docent Isaiam occisum a Judæis, quod scripserit visum a se fuisse Deum.

R. HILARI ET AMBROSII verba intelligi posse de clara cognitione præsentiae divinæ, non per essentiam, sed per signa extrinseca, quæ eam certo demonstrarent; præsertim cum Ambr. L. 5. de fid. c. ult. diserte neget Moysi visionem divinæ substantiæ. BASILIUS per alia, vel in hom. 1. de jejum. vel apud Damasc. conciliari secum ipso debet; aut ejus auctoritati auctoritas Patrum aliorum opponi potest. Ex reliquis de *Isaia* loquentibus opinio Judæorum de ejus verbis duntaxat colligitur, ac præterea non intelligitur adæquata causa illatæ illi necis; cum vel ipso ISIDORO teste Judæorum odium Propheta in se maxime concitarit, quod eos Sodomorum principes populumque Gomorrhæ appellasset. Cæterum quæstio hæc non est ex genere illarum, in qua necesse sit, omnes Ecclesiæ Doctores conspirare.

107. *Obj.* II. S. PAULUS, referens 2. ad Corinth. 12. visiones ac revelationes sibi factas, 1^o. dicit se raptum esse ad tertium cœlum ac in paradysum, h. e. in locum beatitudinis; quod sane ad simplicem mysteriorum revelationem capiendam necessarium non erat. 2^o. Narrat se audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: sed audire verba per *hebraismum* ex THEODORETO idem est ac videre res; et per verba arcana, juxta *græcum ineffabilia*, intelligitur essentia divina, quam unam effari non licet; ergo.

Conf. 1^o. Act. 26. Christus Paulum sic alloquitur: *Surge et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum, quæ vidisti, et eorum, in quibus apparebo tibi;* ergo in visione illa non tantum audivit, sed et vidit plura, maxime Dei essentiam. 2^o. Quia hujus sententiæ sunt S. AUG. l. c., CLEM. ALEX. L. 3. Strom., ANSELM., D. THOM. 1. q. 12. a. 14. ad 2. cum multis Scholasticis; ergo.

R. N. Ass. Si enim *Moysi* clarius omnino loquenti recte negatur visio Dei intuitiva, multo facilius *S. Paulo* negari poterit; tum quia versu *primo* dixerat: *veniam ad visiones et revelationes*, et his raptum suum quasi in exemplum subiecit, per quas tamen visionem Dei intuitivam non intelligi satis constat: tum quia mentionem duntaxat facit *auditus*, non visionis, arcanorum verborum plurium, h. e. absconditorum mysteriorum, non unius essentiæ divinæ: tum quia *ignorare* se dicit, an raptus contigerit in corpore aut extra corpus, quod tamen fruentem visione Dei intuitiva æque latere nequit, ac id Beatos post resurrectionem non fugiet. Hinc

Ad prob. 1^{am}. D. Raptus est ad tertium cœlum et in paradysum, sed ad audienda arcana verba, ut ipse Apostolus continuo subiecit C. ad Deum intuitive videndum N. *Ad rationem* additam concedo equidem, non ex necessitate sed ex Dei beneplacito fuisse raptum ad capiendam mysteriorum revelationem; ex hoc tamen, quod Divini beneplaciti finem nesciamus, inferri pro intuitiva Dei visione nihil valet. Præterea potuit in hoc raptu PAULUS intuitive videre Christum secundum humanitatem, et instrui de arcanis verbis per ipsum, uti ad Galat. 1. 12. dicit se accepisse Evangelium, atque hinc ad eum in paradysum rapi; sed neque hoc ex absoluta necessitate contigisset, cum in suo Damascum versus suscepto itinere Christum viderit et audierit ipse non raptus in cœlum.

Ad prob. 2^{am}. N. m. Nam 1^o. ad *hebraismum* abire in epistola græce scripta non est opus; et quamvis respectu Prophetarum audire verba idem sit juxta THEODORETO ac videre res futuras, tamen proprie loquendo etiam respectu animæ separatae audire idem non sonat ac clare rem videre, sed alterius locutionem excipere: 2^o. *ineffabilia* hic dicuntur, tum quæ fari prohibitum erat, tum quæ fando adæquare et plene explicare *S. Paulus* non poterat: ejusmodi autem non est una Dei essentia, sed et plura de divinis attributis nobis incognita; natura, ordo, gratia et gloria angelorum; paradisi et beatorum pulchritudo, hymni et gaudia; ratio, modus, ordo divinæ reprobationis, prædestinationis et vocationis gentium; Evangelii ac Christi redemptionis mysteria; œconomia demum, regimen et successus Ecclesiæ præsentis ac futuræ; quorum aliqua vel omnia, sub arcanis illis verbis Patres et interpretes intelligunt.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. Cons. quia ex hoc ipso textu nihil evincitur, nisi visio Christi et mysteriorum per eum declaratio.

Ad 2^{am}. Rursus *N. Cons.* et oppono, præter universalem Patrum plurium supra cit. opinionem, AMBR. L. 5. de fid. c. ult., GREG. L. 18. Mor. c. 28. (al. 54. n. 88.) et L. 1. in Ezech. hom. 8. n. 30. quamvis, ut supra dictum est, res hæc ex Patribus, quos inter se consentientes non habemus, minime definienda sit.

108. *Observe.* Enochum et Eliam aliqui Moysi ac Paulo addunt, faciuntque eosdem jam nunc beatæ visionis participes. Eorum ratio est : 1^o, quia prior Eccli. 44. 16. in paradysum translatus, alter 4. Reg. 2. 11. ascendisse in cælum legitur. 2^o, quia ATHAN. Serm. de assumpt. Dom. n. 3., TERTULL. de resur. carn. c. 58., HIER. L. ad Pammach. cont. Joan. Hier. n. 29. vocant eos immortalitatis terminum assecutos, æternitatis candidatos, Paradisi colonos. 3^o, quia S. Eliæ festum a Sacro Ordine Carmelitarum, approbato a Romanis Pontificibus cultu, celebratur : animæ in exitu a presbyteris Deo per merita Eliæ et Enoch commendantur : neuter eorum videtur amplius esse viator et in statu merendi, cum alias eorum meritum ob temporis diuturnitatem sanctorum reliquorum sanctitatem excederet; sed in termino et beatitudinis possessione.

Verum nec hos a lege illa communi excipiendos persuadent allata argumenta. Nam quod *primum* attinet, 70. Interpretes τὸ in paradysum omittunt, τὸ in cælum autem addito τὸ quasi diminuunt. Præterea quamvis et Patres et interpretes discrepent in assignando loco, quo illi rapti fuerint, aliis paradysum terrestrem, aliis stationem quæcumque ignotam, in qua feliciter vivitur, intelligentibus; ut ATHANASIUS ipse l. cit. n. 4.; ne tamen cælum proprie dictum significetur, videtur prohibere Christus Joan. 3. 13. asserens, nullum hominem ascendisse in cælum ante Christi ascensionem. Secundum verum etiam potest esse eo sensu, quod confirmati in gratia et singulari Dei providentia recti servantur liberi ab omni corruptione, fruuntur, quantum mortalitas permittit, cælitum favoribus, et angelicis etiam ac subinde divinis apparitionibus. Hinc similiter, quæ duo priora in tertio momento afferuntur, locum habere possunt, præsertim cum de eorum certamine extremo felici, sub finem mundi secundum Apoc. c. 11. 3. futuro, certi simus. An porro Eliæ et Enoch etiamnum viatores sint et mereantur, discrepant inter se Theologi : quodcumque vero admiseris, non est tamen, cur excessum supra Deiparæ merita concedas; cum hæc non ab uno opere et ejus diuturnitate; sed ex modo ac vehementia dilectionis maxime pretium habeant. Cæterum si mortuos illos contendas ac omnino beatæ vitæ possessores, jam non restat præsentis disputationi locus, et repugnas totius Ecclesiæ persuasioni, quæ ex plurimis SS. Patribus, Scriptura etiam non obscure favente, tenet hos duumviros necdum vita functos, sub extremum mundi modo occubituros. Cæterum de ipsa Dei visione intuitiva, ejus principiis, objecto et mensura vide Tract. de Beatitudine.

DISPUTATIO III.

DE INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

CAPUT I.

DE INTELLECTU DIVINO, EJUSQUE OBJECTO.

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM COGNITIONIS DIVINÆ?

109. *Nota.* Dari in Deo intellectum et memoriam, præcisè utriusque potentiae creatæ imperfectionibus, nemo dubitat. *Habitus* aut *discursus* Deo proprie tribui nequit, cum ille redundet in potentia perfectissima, hic autem, cæu transitus a minus ad magis notum, dedecet ens omniscium. Quod Deus habeat rerum omnium ideas perfectissimas, quæ non sint extra, sed intra Deum, asserunt SS. PP. DIONYS. de Div. nomin. c. 7. §. 2., CLEM. ALEX. Strom. L. 6. sub fin., AUG. de Trinit. L. 6. c. 10. et alii, et probat ratio, tum quia Deus extra se agit per intellectum ut artifex sapientissimus, tum quia ideae creaturarum sunt increatæ, incommutabiles et æternæ, nihil autem extra Deum increatum, incommutabile et æternum est. Idea *objectiva* in Deo videtur esse ipsa Dei essentia ut participabilis a creatura, et *formalis* ipsum verbum intellectuale divinum, seu conceptus essentialis, quem Deus habet de creaturis ut possibilibus vel faciendis. Nobis hic sermo est præcipue de *objecto* cognitionis divinæ.

110. *Dico I.* Quidquid est cognoscibile, est objectum cognitionis divinæ.

Prob. Cum Baruch. c. 3. dixisset, sapientiam nusquam terrarum aut gentium reperiri, demum, ubi sit, declarat v. 32. : *Quis scit universa, novit eam, et advenit eam prudentia sua.* David Psal. 138. 5. *Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* Paulus vero 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei;* Et ad Hebr. 4. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* His adde SS. PP., qui ubique Deum prædicant omniscium, ut CYRIL. L. 11. init. (opp. t. 4. p. 929.) Comment. in Joan. scribens : *Proprie ac soli Principi omnium naturæ tribuendum est, omnia scire docente nullo, ac præ oculis habere nuda et aperta;* aut ab eodem quæcumque ignorantiam pro-